

CAPUT XI.

De Angelis.

I. **E**X actionibus angelorum rectè colligitur
 ipsorum substantia, juxta regulam: A-
 ctus sunt suppositorum: & actus, intelli-
 gentes sunt personarum.

II. *A non scripto ad non esse non valet con-
 sequentia, siquidem non agatur de articulo fi-
 dei: Sic non est consequens: Scriptura ta-
 cet creationem angelorum Gen. 1. E. non
 sunt creati.*

III. *Ex actionibus legativis non rectè con-
 cluditur rei indignitas. Neque enim qui le-
 gatione fungitur in gratiã & propter com-
 modum alterius, illo statim est ignobi-
 lior. Sic angeli Psal. 91. & Heb. 1. dicuntur
 ministrare homini pio. Hinc verò non
 licet concludere, ipsos cedere homini di-
 gnitate naturæ. Nam officium illud non
 est servile, sed nobile.*

IV. *Ex potentiã magnã malè colligitur
 potentiã infinita. Sic licet angeli præditi sint
 potentiã longè maximã: non tamen ideo
 potentia illorum existimari debet infini-
 ta: quippe quæ solius Dei est propria.*

V. *Ex œconomiã Dei vel creatura malè
 concluditur utriusque essentia. Nam œco-
 nomia est propter hominis utilitatem. Ita-
 que non quia Deus & angeli apparuerunt
 in*